UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Res à S. Ignatio Loiola Societatis Iesv Parente Gestæ

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniae, 1622

Denuo capitur. 85

urn:nbn:de:hbz:466:1-44900

Visual Library

paucis iterum diebus, increbreſcere rumor, atque IGNATIVM ad omnis ordinis homines differre: qui nouitate & mali metu exciti accurrere; dicentis libertate, & in mouendis animis facultate ſolliciti cogitare, ne quod virus ea boni ſpecie tegeretur. 85 Re omni nouiſſimè ad Magiſtratũ delatâ hoc facilè proficiunt, vt iniectis catenis ipſe ac ſocius arctiſſimè colligati, nuſquam poſſent ab altero alter diuertere. Dies duos & viginti tenuit is carcer: cùm nihilo interea minor ad illum concurſus fieri; & ipſe in vitia liberè pro virtutibus dicere, verbiſque omnes ad honeſta accendere perrexit: tantis occupatus gaudijs, vt patiendi cupidior, ijs ſuccenſuerit, quibus ideò ſe eſſe miſerabilem videret; confeſſus, eos ignorare, quas carcer, quaſque alia damna delicias innoxijs parturi-

rent.

rent. Per eoſdem dies annonam, &ſi quid aliud captiuis opus erat, aliqui ciuium vbertim ſuppeditabant. Sed neque à quæſtionibus habendis ceſſatum fuit; quæ quo diutius acriuſque exercitæ, eò ſublimius innocentiam euexere.

86 Ad extremum Magiſtratus, quem Baccalaureum Friam dicebant, cognitæ virtuti teſtis, è iudice factus, IGNATIVM ſociumque probos eſſe doctoſque homines affirmat: & fraudis ſceleriſque obiecti puros, ex animi ſui ſentẽtia pronunciat. Atq; ita vinculis eximuntur. Apparebat pridem huc ſpectare DEVM, vt IGNATIVS per hos fortunæ turbines duratus, decumanas olim tempeſtates ſuperare; & vel pugnantibus ventis nauem ad portum, quem ipſi edixiſſet, appellere condiſceret. Nam & ingentibus illũ animis impleuit, & creſ-